



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo||nis Episcopi Hal-||berstatten[sis] Homiliarum,  
nunc sexto || maiori [pro] ante hac unquam dili||gentia  
excusarum, || Pars ...**

praeter omnes omnium appendices, accesserunt iam recens homiliae  
aliquot piæ, ante hoc tempus excusæ nusquam

Pars Aestivalis

**Haimo <Altissiodorensis>**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Coloniae, 1551**

**VD16 H 222**

Dominica xxij post penteco.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39335**

tur, quam Iudæorum, ipso domino de centurione dicente: Amen dico uobis, non inueni tantam fidem in Israel. Legimus paulo superius, eodē euangelista Iohanne narrante, qui cum mulier Samaritana audisset a domino omnia quę fecit, abiit in ciuitatem, & dixit illis omnibus: Venite & uidete hominem, qui dixit mihi omnia quęcunq; feci. Nunquid ipse est Christus? Cum uenissent ergo ad illū Samaritani, rogauerunt eum ut ibi maneret. Et māsi ibi duos dies, & multo plures crediderunt propter sermonem eius. Et mulieri dicebant: Quia iam non propter tuam loquelam credimus, ipsi enim audiuimus, & scimus quia hic est uere saluator mūdi. Ibi cō sine ostensione miraculi tota ciuitas credidit: hic cum magnum signum ostēsum esset, ipse pater tantum credidit, & domus eius tota.

Matt. 8.

Ioh. 4.

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN, ad Philipenses I.

**F**Ratres, Confido in domino Iesu, quia quę cepit in uobis opus bonū, perficiet usq; in diem Christi Iesu. [Id est, Christus qui dedit nobis initium fidei & bonę conuersationis, dabit & perseverantiam usq; in diem mortis nostrę, uel usque ad diem iudicij per successionem.

sicut est mihi iustum hoc sentire pro omnibus uobis,] id est, iustum est mihi hoc intelligere de uobis. gaudebitis in fide Christi: Et ideo deo gaudere, [eo quod habeam uos in corde & in uinculis meis,] id est, uestri reminiscor. [ & in defensione & confirmatione euangelij socios gaudij mei,] id est, remunerationis æternę uitę. Quomodo defendebat & confirmabat euāgelium? Multis

QQ iij



modis, uidelicet recte credendo, iuste uiuendo, bene docendo, defendebat quocumque & confirmabat tantam esse doctrinam euangelij, dum dicebat ei Nero: Nega Christum, & abiice doctrinam istam, erisque florens magno honore in palatio meo. Et illi magis eligebat ab illo flagellari & in uinculis astringi, quam ei assentire, tunc defendebat euangelium, & uidentes alij hoc, dicebant: Vere, nisi esset doctrina ista uera, & nisi esset Christus uerus dei filius, nequaquam Paulus talia pro eius nomine sustineret. [Omnes uo.] subauditur, uolo [esse,] id est, opto ut sicut estis socij in labore predicationis, ita sitis & in remuneratione. Poterat enim aliquis dicere: Vere Paulus circuitor mundi, uerbosus est, neque diligit nos, unde dicit ad hanc ille:

Testis enim mihi est deus, quomodo cupiam omnes uos in uisceribus Iesu Christi.

Viscera dicuntur filij, & uiscera dicitur quicquid intra carnem seu corium est. Ideo duobus modis intelligitur. Cupio, inquit, uos omnes filios esse dei, uel cupio ut ipse sit templum uestrum, & uos communicantes corpori & sanguini illius, maneat in illo.

Et hoc oro, ut charitas uestra magis abundet. Sicut fides habet initium, habet incrementum & perfectionem, ita & charitas. Oro, inquit, ut non solum ad deum & proximum, sed ad inimicos extendatur uestra charitas. [in scientia] subauditur, legis. [ & omni sensu,] id est, doctrina euangelij. [ut probetis potiora,] id est, ut intelligatis maiora de deo. [ut sitis synceres,] id est, perfecti in fide & in omni bonitate. Synceris materia est integra, solida & firma, quae nullius rei uarietate



maculatur, ita & fides debet esse solida,  
 & sine offensa in diem Christi, id est, sine offensa  
 in diem mortis uestrae, uel diem iudicij. [re-  
 pleri fructu iustitiae, Id est, sitis repleti omnibus **Ca. 5.**  
 uirtutibus, de quibus dicit Apostolus: Fructus au-  
 tem spūs, est gaudium, pax &c. per Iesum Chri-  
 stum, in gloriam & laudem dei, id est, ut glo. i-  
 ficetur deus in nobis, & laudetur dominus Iesus,  
 per quem omnia bona habemus.

DOMINICA XXIII. POST PEN-  
 tecosten, Matth. XVIII.

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis  
 parabolam hanc: Simile est regnum celo-  
 rum homini regi, qui uoluit rationem pone-  
 re cum seruis suis. Et reliqua.

**V**irtus & sapientia dei dominus Iesus Chri-  
 stus, humanae ignorantiae condescendens,  
 frequenter suis sanctis sermōibus similitu-  
 dines dignatus est adiungere, ut quod per similitu-  
 dinem sermonum auditores capere non poterant,  
 saltem per parabolas & figuras tenerēt. Vnde sic **Matth. 13.**  
 ut alibi Matthaeus ait: Loquebatur Iesus cū disci-  
 pulis in parabolis, & sine parabolis non loqueba-  
 tur eis, ut adimpleretur quod per prophetam dici **Psal. 77.**  
 tur: Aperiam in parabolis os meum, loquar propo-  
 sitiones ab initio. Quod in hac lectione eum fecif-  
 se cognouimus, si diligētius superiora huius euan-  
 gelij consideremus. Cum enim praeceptum dimit-  
 tendi fratribus in nobis peccātibus dedisset, ne du-  
 ra haec uiderentur & aspera, adiecit similitudinem  
 de rege, qui debitori suo decem millia talenta ad

QQ iij



unam supplicationem dimisit, Spiritualiter homo iste rex dominus Iesus Christus est, de quo scriptum est: Ecce ueniet deus & homo de domo David, qui est rex regum & dominus domnantium, & cuius regni non erit finis. Huius regis serui, homines sunt: quos ad sibi seruiendum, seque laudandum, ad suam imaginem condidit, quibus etiam sensum & intelligentiam præbuit. Huic regi seruire, summa est libertas: ab eius seruitio recedere, turpissima seruitus. Huius seruum se gloriabatur Psalmista, cum dicebat: Ego seruus tuus & filius ancillæ tuæ. Et iterum: Seruus tuus ego sum, da mihi intellectum domine. Ponit autem rex rationem cum seruis suis, quia non solum opera, sed etiam cogitationes nostras eius maiestatis oculus subtiliter examinat atque discernit. Sed eo rationem ponente, solet contingere ut inueniantur plures qui non solum in minoribus peccatis, sed etiam in maioribus criminibus sunt obligati. Quorum speciem tenet iste, de quo subditur:

Et cum cœpisset rationem ponere, oblatum est ei unus qui debebat decem millia talenta.

Talentum in scripturis aliquoties peccatum significat, uel pondus, siue multitudinem peccatorum, sicut in Zacharia legitur: Vidi, & ecce talentum plumbi portabatur, & piecit illud in medium amphoræ & dixit: Hæc est impietas, sicut enim talentum diuersis modis ponderatur, sic peccatorum species diuersæ sunt. Qui enim homicidium, adulterium, sacrilegium, & cætera his similia perpetrat, quasi decem millia talenta debebat.

Cum autem non haberet unde redderet, iussit eum dominus eius uendari & uxorem eius & filios, & omnia quæ habebat, & reddi.

Psal. 115.  
& 118.

Zach. 5.



Non habebat seruus unde redderet debitū, quia digne pro peccatis deo satisfacere non potest per proprium meritum. Siue certe nō habet seruus unde debitum reddat, quia peccator in die iudicij nullam excusationem pro peccatis suis inueniet. Sed quia deus misericors, nec uult peccatores perire perpetuo, iubet seruum uenundari, cum peccatorem per pœnitentiam præcipit immutari. In uenundatione em̄ hoc agitur, ut alterius res ad alterius trāseat possessionē. Et tunc spiritualiter seruus uenundatur, quando peccator de possessione diaboli, p pœnitentiam ad possessionem cōuertitur dei. Venundatur quoq; uxor & filij, cum caro, quæ peccatis fuit subdita, & cogitationes carnales in seruitio dei immutat. Et qui seruiuit immunditię & iniquitati ad iniquitatem, seruiat iustitię in sanctificationem: & pro superbia humilitatē, pro luxuria castitatem, pro auaritia diligit largitatem. Et qui antea procreauerat filios diaboli male uiuendo, incipiat procreare filios dei bene uiuendo. Ergo per uxorem, propriam carnem intelligere possumus: per filios, uitia & peccata. Vel certe aliter. Venundatur seruus, cum peccatori impœnitenti æternum comminatur supplicium, & declinare a malo, & facere bonū ei præcipitur. Venundatur quoq; uxor & filij, quando non solū animæ pro peccatis, sed etiā carni peccatrici pœna æterni cruciatus prædicatur. Quod cū audierit seruus, frequēter post pœnitentiam timore cōcutitur ad pœnitendū, qui p amore dei noluit cauere peccatum. Vnde & subditur:

**Procidens autem seruus ille, rogabat eum, dicens: Patientiā habe in me, & omnia reddā tibi. ]**  
**¶ Procidit autem seruus ante deum, cum peccator**

Q Q v



Psal. 50, suam fragilitatem recognoscēs, humiliter ueniam postulat, dicens cum propheta: Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meū cōtra me est semper. Tibi soli peccaui, & malū coram te feci, ut iustificeris in termōibus tuis, & uincas cum iudicaris. Rogat quoq; patientiam, ut dignā possit exhibere pœnitentiam, quatenus pœnitentis uitæ dies ad inducias pœnitendi accipiat: & secundū Apostolū, p patientiam dei ad pœnitentiā cōuertatur. Quantū autē misericors deus erga peccatores cōvertos existat, manifestatur cū subditur:

Rom. 2.

Miserus autē dominus serui illius, dimisit eum, & debitum dimisit ei. ] Ecce enim non solum patientiam, quam rogauerat inuenit, sed etiā debiti absolutionem accepit. Quia diuina clementia semper maiora consuevit præstare, quam humana fragilitas sciat rogare. Nemo ergo de magnitudine uel multitudine peccatorum diffidere debet, ac de ipsa desperare, cum ille qui decem millia talenta debebat, & patientiam rogaret ut redderet, omnia a domino impetrauit. Amat enim deus peccatores post conuersionem, si dignam faciant

Iere. 18  
& 33

satisfactionē. Quia sicut ipse dicit per propheta, non uult mortem peccatoris, sed ut cōuertatur & uiuat. Et iterum: Peccator quacūq; die conuersus fuerit, &c. Et sicut pius redemptor in euangelio ait: Quia non ueni uocare iustos, sed peccatores. Et gaudium est in celo super uno peccatore

Matt. 9.

Luc. 15,

pœnitentiam agente, quam supra nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia. Vnum autē summopere necessarium est pœnitentibus, ut sicut sibi sua a deo dimitti uolunt peccata, ita fratribus in se peccantibus clementer ignoscant. Sunt enim



nonnulli, qui cum deum erga se benignum esse desiderat, fratribus duri, asperi & amari existunt. Quorum similitudinem uidet iste tenere, de quo subditur:

Et egressus seruus ille, inuenit unum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios, & tenens suffocabat eum dicens: Redde quod debes. ¶ Egre ditur seruus, quando liber abire permittitur. Suffocationem supradictam, tribulationes & angustias, quas ei ingerebat, intelligere possumus. Spiritualiter, unusquisque nostrum exiens, inuenit unum de conseruis suis debentem sibi centum denarios, quando reminiscitur, se ab alio esse laesum.

Procidens autem seruus ille, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. ¶ Eisdem ergo uerbis, quibus dominum supplicauerat, a conseruo rogatus est, sed non talem misericordiam conseruo exhibuit, qualem a domino acceperat. Vnde & subditur:

Ille autem noluit, sed abiit, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum. ¶ Mali autem retributio, carceris conclusio, uel suffocatione designatur. Igitur carcer in hoc loco afflictio, qua eum coartabat, intelligitur. Debitum in scripturis peccatum uocari, ex eo intelligimus, quod quotidie in oratione poscimus, dicentes: Dimitte nobis debita nostra. Vnde in lege praecipitur: Debitum debet tibi quispiam frater tuus, si abstuleris pignus ab eo, ante solis occasum pignus restitue. Omnis enim homo debitor est, & debitorem habet. Quis enim est, qui non sit debitor dei, cum nullus sit sine peccato? Et quis est, qui debitorem non habeat fratrem suum, nisi ille, in quem nullus peccauit? Quam-

Matt. 6.

Exo. 22.



rum autem inter decem millia talenta, & centum denarios distat, tanto maiora sunt quæ in deū cōmittimus quam ea quæ fratres in nobis peccāt. Ea ergo benignitate fratribus in nobis peccantibus minora dimittere debemus, q̄ maiora nobis a deo dimitti optamus. Quod melius agnoscimus, si superiorem domini admonitionem, ex qua hæc similitudo orta est, consideremus. Cum enim superius præciperet, dicens: Si peccauerit in te frater tuus, uade & corripe eum inter te & ipsum solum, & cætera quæ sequuntur: interrogauit eum Petrus, dicens: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? usq; septies? Ait illi Iesus: Non dico tibi usq; septies, sed usq; septuagies septies. Ex qua interrogatione & responsione hoc discimus, quia si toties peccauerit in nobis frater noster, quoties humana fragilitas in die peccare nō finit, semper parati esse debemus ad ignoscendum. Sed dicet aliquis: peccauit in me frater meus, dimisi ei usq; septuagies septies, nunquid amplius dimittere debeo, quam a Christo præceptum est? Cui respōdere debemus, quia etsi septuagies octies, etsi centies, & quoties omnino peccauerit, semper dimitendum est. Quia sicut a domino nō ex parte, sed ex integro nostra uolumus dimitti peccata: sic ex toto corde fratribus in nobis peccantibus dimittere debem⁹, monēte Paulo apostolo: Donate uobis oīa inuicem, si quis aduersus aliquē habet querelam, sicut & in Christo donauit uobis. Numerus enim iste non pro quantitate, sed pro mysterio a domino positus est. Huius numeri sacramentum Lucas euangelista ostendere curauit, cum humane generationis CHRISTI ordinem descri-

Mat. 18.

Col. 3.

Luc. 3.



bens, septuagintaseptem generationes enumeravit. Cum enim Matthæus ab Abraam incipiens, usque ad Christum descendendo, quadraginta duas generationes enumerasset, e contra Lucas a Christo ascendendo usque ad primum hominem Adam describens septuagintaseptem generationes enumeravit, ut intelligamus septuagies non ad quantitatem numeri, sed ad peccatum pertinere. A Christo ergo usque ad Adam septuagintaseptem generationes numerantur, quia illud peccatum quod primus homo in paradiso perpetravit, per septuagintaseptem generationes usque ad Christum, qui sine peccato venit, uiguit. Vnde bene idem Lucas a baptis-  
Matt. 22  
Lucæ. 3.  
Gene. 4.  
 mate Christi numerare cepit, quia omnia peccata in baptismo absoluntur. Quod mystice Lamech suis uerbis ostendit, quando uxoribus suis ait: Septuplū ultio dabitur de Cain, de Lamech uero septuagies septies. Nam quantum ad literam pertinet, septuagies septies de Cain ultio data est, quia uindictam, quā pro fratris morte promeruit, usque ad septimā generationē in ipso ptulit. De Lamech uero septuagies septies ultio data ē, quia septuagintaseptē aīæ de femore eius egressæ sunt, quæ oēs diluuiō pierunt. Spiritually uero de Lamech septuagies septies ultio data ē, quia peccatū, quod primus homo peccauit, ut diximus, per septuagintaseptē generationes usque ad Christi aduentū uiguit. Vñ bñ idē Lamech pcutiens, siue percussus interpretatur. quia primus homo percussus est uulnere peccati, & omnem suam stirpē eodem uulnere percussit. Hæc diximus, ut oñderemus septuagies septies, non ad quantitatem numeri, sed ad peccatum pertinere. Oīa ergo quæ fratres in nobis peccare possunt, dē



mittere iussit, quando septuagies septies fratribus in nobis peccatib<sup>9</sup> indulgere praecepit. Regulam ergo dimittendi in nobis ipsis discamus, ut sicut deum post peccatum uolumus inuenire, propitium, sic in nobis peccatibus clementes & benigni simus, ipso saluatore monente: Cum stabitis ad orandum, dimittite si quid habetis aduersus aliquem, ut & pater uester qui in caelis est, dimittat uobis peccata uestra. Nam qui diuini beneficii oblitus, suas uult uindicare iniurias, non solum de futuris peccatis ueniam non merebitur, sed etiam praeterita peccata, quae sibi dimissa credebat, ad uindictam ei replicabuntur. Unde & subditur:

**Marc. 11**

Videntes ergo conserui eius qui fiebant, contristati sunt ualde, & uenerunt, & narrauerunt omnia domino suo quae facta fuerant. Conserui, qui haec uidentes domino nunciant, angeli sunt, quae opera nostra diu noctuque factori nostro nunciare creduntur, sicut

**Tob. 12.**

angelus ad Tobiam ait: Dum oraretis, ego obruli orationes uestras ad deum. Qui pro eo conserui dicuntur, quia nostris humilitatibus ministrant, sicut Apostolus ait: Sunt administratorij spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis. Contristati autem dicuntur, quia sicut gaudet super bene agentes, sic dolere dicuntur super male agentes. Siue aliter, conserui qui haec domino nunciant doctores & magistri ecclesiae intelliguntur, quae uidentes minores a maioribus opprimi uel affligi, compatuntur eis: & dum eis condolent, quasi per affectum mentis omnia haec domino nunciant.

**Heb. 1.**

Tunc uocauit illum dominus suus, & ait illi: Serue nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne ergo oportu-



it & te misereri conserui tui, sicut & ego tui miserus sum?

Ecce qualem pœnam merebitur, qui suas uult uindicare iniurias. Ait enim: Serue nequã &c. Ac si diceret: Serue male, ingrate serue, cum ad unam petitionem omne debitum tibi dimiterim, quare non considera sti, quia oportuit & te misereri cõserui tui, sicut & ego tui miserus sum?

Et iratus dñs eius, tradidit eũ tortoribus quo aduſq; redderet uniuersum debitum.

Queritur, q̄modo dñs iratus dicatur, cū in natura dei nulla ira, nulla mutabilitas cadat, teste Psal. 7. Psal. 7.

sta, qui ait Deus iudex iustus, fortis & patiens, nunquid irascitur p̄ singulos dies? Ad quod dicendum q̄a multis in locis scriptura sacra more nostro loquitur, ut occulta dei iudicia p̄ uisibiles res intelligatur. Sicut em̄ terren⁹ rex irat⁹ dicitur, q̄n̄ in subiectis uindictã exercet, sic deus omnipotens illis iratus uidetur, q̄s iusto iudicio p̄pter peccata dānat & punit: ceterū in sua natura semp̄ immutabilis semperq; tranquill⁹ p̄manet, cui per quēdã sapientē dicitur Tu aut̄ domine sabaoth cum tranquillitate iudicas, & cū magna reuerētia disponis nos. Sapi. 12.

Tortores, q̄bus ingratus seruus traditur, immūdi Psal. 77 sunt spiritus, de q̄bus scriptum est: Immissiōes per angelos malos q̄ grauius a nobis exigunt, q̄d blāde & leniter psuasent. Ipsos em̄ peccator tortores habet in pœna, q̄s habuit suasores ad culpam. Quod aut̄ dicitur, [Quoaduſq; redderet uniuersum debitū,] infinitum aduerbium, p̄ infinito tēpore posuit, quoniam reprobi æterno supplicio damnati, sic quādie debitum peccati in pœna exoluēt,



Mat. 5.

ut tamē pœnarum cruciatus nunquā eis deficiat, domino alibi dicente. Amen dico uobis. Non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem. Non ergo ita est accipiendum, quod post uniuersale iudicium uindicta peccatorum peracta, reprobi ueniā consequi possint, licet Origenistæ testentur, quorum sententia nō est sequenda: quia postquam semel damnati fuerint, ueniam non consequentur. Exponens dominus quod in similitudinem prēmiserat, adiunxit dicens:

Sic & pater meus celestis faciet uobis, si nō remiseritis unusquisq; fratri suo de cordibus uestris. In quibus uerbis ostenditur, quia (sicut superius diximus) qui fratribus in se peccantibus dimittere non uult, etiam illa peccata, quæ sibi dimissa crederet, ad uindictam ei replicabuntur. Et quia deus inspector est cordis, signanter dicitur, [de cordibus uestris.] Sunt enim nonnulli, qui cum ab alijs læsi fuerint, ore dimittere uidentur, sed corde iniurias reseruant: quod ideo faciunt, quia ab alijs coguntur ut dimittant: aut certe defendere nō se ponalēt ab his, a quibus læsi sunt, uel certe tēpus uindicandi aptum expectant, de quibus per prophetam dicitur: Ore pacem cum amico suo loquitur, & occulte ponit ei insidias, sed isti tales, qualē uindicam percipiant, Psalmista declarat, dicens: Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Et iterum: Da illis secundū opera eorum, & secundum opera manuum eorum tribue illis. Quorum patientia non prēmium accipiet uirtutis, quia uelamētum ē furoris. Nihil ergo prodest ore dimittere, qui uult iracundiam corde seruare. Propter hoc, cū dixisset dominus. [Sic &

Iere 9.

Psalm. 27.

Ibi.



pater meus cælestis faciet uobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo. ] adiunxit, [de cordibus uestris. ]

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN, ad Philippen. iij. & iij.

**F**Ratres, Imitatores mei estote, id est, me imitami-  
ramini. Imitatio est, cuiuscumque rei quedam  
imaginatio. & imitari, est sequi, & est sensus: si Chri-  
stum non potestis imitari & sequi, saltem me imi-  
tamini discipulum eius in fide, in opere, in doctri-  
na: ut sicut ego credo, operor, doceo: ita & uos  
cuedatis, operemini, doceatis. [ & obseruate eos, ]  
id est, imiramini. Hoc uerbum quod est obseruare,  
uarias obtinet significationes. Aliquando signifi-  
cat declinare & cauere, ut ibi: Obseruate eos, qui  
dissensiones & offendicula faciunt, id est, declina-  
te ab eis. Aliquando insidias moliri, ut ibi. Obser-  
uabant eum, id est, insidias tendebant. Aliquando  
imitari, ut hic: Obseruate eos, id est, imitamini ta-  
les qui formam doctrinae nostrae habent. qui ita cre-  
dunt, uiuunt & docent: [ qui ita ambulant, ] qui ita  
uiuunt sicut ego. [ sicut habetis formam ] nostram,  
id est, formam doctrinae nostrae. [ Multi enim am-  
bulant, ] id est, non recte uiuunt, sicut pseudo apo-  
stoli, [ quos saepe dicebam uobis ] cauendos esse,  
cum apud uos essem praesens. [ nunc autem & flens  
dico. ] Imitanda est charitas Apostoli, qui etiam ini-  
micos crucis Christi desolebat, sicut Samuel inimi- & 15.  
cum suum Saul, & sicut idem Apostolus Corin- & 16.  
thios alibi, qui post fornicationem non egerant pe-  
nitentiam. Inimicos crucis Christi, appellat Iudaeos  
& alios infideles, qui dicebant non posse hominem

R R